

nendum, non unum saltem caput dissensus rem absolvit, sed omnia penitus disquirenda, & Lectori ob oculos ponenda, ut, quid æra lupinis distent, rectius penetretur. Vix enim vel levissime his sacris initiatus largietur, dissensum nostri & reformatorum cœtus tam brevi complexu absolvi posse; tantum abest, ut ecclesiae universae puriori, cui talia offeruntur, satisfieri hac ratione queat, utpote quae probe memor est, quot jam scriptis, synodis & collocutionibus de illo consensu sit actitatum, ut ad tria verba revocari posse minime videatur. Parum igitur benigne, vel aequa, nostra cum ecclesia gestum est negotium, ubi traditur, eam tam parvis cinctam esse munimentis, ut, ad unum propugnaculum saltem omnia redire, hominibus persuadeatur, quo vel hostibus vel nobis tantisper relicto, omnia ad auream pacem promte conspirare possint. Aliter sane rem tantam tractarunt pii ac religiosi Antecessores, qui, ubi *pro maiestate H. N. Christi communicata* decertarunt, profundius longe scrutandum negotium viderunt, & periculum hujus controversiae, si vel tantillum veritati cederetur, accuratis oculis perlustrantes totam de Christo doctrinam accurate sibi defendendam crediderunt: pro qua opera & fidei constantia, mercede & corona in coelis reposita aeternum fruuntur atque triumphant!

§. III. Acceptamus in reliquum, quod fateatur Allocutör, Reformatos statuere, *quod attributa divina Humanae Naturae non sint communicata, sed communicata sint personae.* Sic enim duplē errorē gravissimum illorum tangit: alterum, quo *humanae naturae Christi*, quae tamen Βελτεώσει quadam eximia gaudet, *per communicationem αὐχημάτων* divinorum concessa dona denegantur; alterum, quo *ipsius quoque hypostaseos divinae honor* infringitur, cum ipsi quaedam in tempore communicata esse finguntur, quae tamen ab omni aeternitate habuit, possedit & exercuit: *Quod asserere vel ideo prohibemur, quoniam a parte rei*